INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXVII. A. D. XIV. OCTOBRIS

P. P. O.

[illegible]

INSTITUENDARUM.



Praefatus est L. Friedlaender de duobus locis Plinianis.

Regimonti Pr.

Typis Academicis Dalkowskianis.

MDCCCLXVII.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

DR. GUST. FRID. WERTHER

PHILOS. ET MED. DR. P. P. O.



Prooemium.

Locus ubi Plinius celebrata illa Tempe describit (Hist. Nat. IV 31), quamquam ab Urlichsio (Vindic. Plinian. I p. 54 sq.) manu perita tentatus, nondum videtur persanatus esse.

Leguntur ibi haec: et ante cunctos claritate Penius ortus juxta Gomphos interque Ossam et Olympum nemorosa convalle defluens D stadiis, dimidio ejus spati navigabilis. In eo cursu Tempe vocant V milium passuum longitudine et ferme sesquijugeri latitudine ultra visum hominis attollentibus se dextra laevaque leniter convexis jugis intus sua luce viridante. Hac labitur Penius, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium concentu. Pro intus sua luce Ludovico Jano in mentem venit legi posse: indutis smilace. Sed jam Salmasius vidit (Exerc. Plin. p. 153 a), commemorationem nemoris illius sacri quo Mela II 3 Tempe nobilia esse dicit, ab hac descriptione deesse non posse: unde Urlichsius ex codice Toletano recte ut videtur restituit: intus vero luco viridante. Equidem tentaveram: nemore intus sua luce viridante, ut nemus, claritate diei jugis illis super impendentibus exclusa*), luce quadam sibi propria perfusum a Plinio dictum esset. Sed lectionem cod. Toletani vel propterea praeferendam esse existimaverim, quod inde origo corruptelae (intussuo pro intus vero) optime explicatur v. Urlichsium l. l. Quod autem idem v. d. ex eodem codice pro viridis calculo recipiendum putat vitreus calculo, assentiri non possum: nam quo modo calculo aqua vitrea fiat, non magis intellego, quam quo modo viridis. Sin autem Plinius Penium tam purum et vitreum dicere voluit, ut numerare — relucentes calculos possis (junioris Plinii verba sunt Clitumnum fontem describentis epp. VIII 8): pluribus verbis opus fuit, quorum plus unum excidisse, statuendum esset. At fortasse unum tantum viridis pro corrupto habendum est, quod errori oculorum ad viridante delabentium

---

*) Catull. 64, 285:

viridantia Tempe
Tempe, quae silvae cingunt super impendentes.

locum suum debere videtur; nam vitreus manum emendatoris in viridis offendentis prodere existimaverim. Quod si quaerimus quale vocabulum exciderit, ejusmodi tantum esse potuisse patet, ut ad ablativum calculo quadraret. Mihi autem quaerenti, quam qualitatem fluvii Plinius calculo vel calculis effectam dicere potuerit (nam singularem utut hic locus restituendus est, pro plurali positum esse utique putabimus) nihil aliud sese offert nisi vocabulum sonum calculorum, undarum volumine crepitantium significans (cf. Ovid. Metam. XI 604: invitat somnos crepitantibus unda lapillis). Et ut exemplo demonstrem, quale vocabulum desiderari putem, Plinius fluvium quem poeticum sermonis colorem affectans, gramine amoenum, concentu avium canorum dixit, calculo dicere potuit sonorum vel sonantem. Liv. XLIV 6: terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis.

Sed restat aliud in quo offendam: in eo cursu Tempe vocant V milium passuum longitudine. Certe inter ellipses Plinianas quas Grassberger De usu Pliniano p. 7 sqq. congessit, ne ea quidem quae audacia maxime insignis est, hujus loci duritatem aequat VII 159: In Tmoli montis cacumine quod vocant Tempsin, CL annis vivere Mucianus auctor est; ubi tamen Janus adnotat: vide ne post vivere exciderit homines. Equidem post vocant excidisse putaverim angustissimam vallem vel simile quid. Liv. l. l.: nam praeter angustias per quinque milia, qua exiguum jumento onusto iter est etc.

IX 117: Lolliam Paulinam — vidi zmaragdis margaritisque opertam, alterno texto fulgentibus toto capite crinibus [spira] auribus, collo [monilibus] digitisque quae summa quadringentiens HS colligebat etc. Verba uncinis inclusa quin aliena sint non dubito. Nam vocabula illa sexto casu posita non possunt non ad idem genus pertinere, ut omnia aut mundi muliebris vocabula sint aut partium corporis. Hoc vel inde apparet, quod digitis particula que cum voce proxime antecedente conjunctum est. Tam arcte autem in enumeratione vocabula rerum diversarum ut monilia et digiti non possunt conjungi. Hinc apparet ne Salmasii quidem conjectura: crinium spira (Exerc. p. 826 a; crinis spira Heins. Adv. p. 411) et colli monilibus (quod vereor ut umquam dictum sit) mendum corrigi posse.